



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Feminam propè mortuam morte eximit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Feminam propè mortuam morte eximit.

ANno huius sæculi octogesimo, Aprili ineunte femina primaria Constantia Crescentia octauum iam mensem prægnans iterum mortiferam in febrim incidit, à qua miserimè conficiebatur: accesserant pustulæ, seu ecthimata, & exanthemata nigra: cumque vi morbi non longè abesset ab exitu, sacro viatico media nocte munitur: quo peracto cum sacerdos paulò post eam vt extremo oleo inungeret, accessisset, meditari ægra secum ipsa cœpit, quoniam pacto propinquã mortem euaderet: cogitanti venit illico in mentem, hoc vnum his tot periculis sibi remediũ fore, vt Philippus pro eius salute diuinã precetur clementiam. Interim albescente die a lei Beatus Pater vocatus à nemine: feminam melius habentem, explanatè, clarèque proloquentem reperit: illa vt Philippum vidit, noctem

Vitæ lib. 2.

S 2

habui,

*Christi
anno se-
ptuagesimo nono
nihil mihi
nouit, quod
sciam, oc-
currat scri-
bendum.*

*Huius rei
præter ipsã
Constantiam tres
iuratos te-
stes habemus.*

habui, dicere cœpit, plenam timoribus, & miserijs, parumq; abfuit quin morerer; magno tu mihi desiderio fuisti, à quo sperabam auxilium, quod ne defuit quidem; namque vbi diuinam opem, te in animo habens, implorare cœpi, mox tuarum vi precum melius mihi fuit: tum ille quam tu noctem habuisti plenam timoribus, ea ipsa ego tecum perpetuò fui: bonum ergo animũ habeas; quandoquidem non modò nõ morieris, sed breui planè conualesces. nec mora: eo ipso momento leuius habuit, paucisque interpositis diebus pristinum animi, corporisque vigorem, præter spem, cunctis qui eius morbi conscij erant, attonitis recuperavit.

Prophetia spiritu claret.

IVuenis quidam non ignobilis ad prælia Domini apud nostros prælianda euocari se sentiens institutum nostræ Congreg. amplecti statuit: